UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 1. Quid est usus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

Visual Library

§. III.

De uſu, uſu-fructu & ſervitute.

Q. 1. *Quid eſt uſus?*

Reſp. Uſus duplex eſt, nempe juris, & facti. Uſus juris, de quo ſolo agunt Juriſtæ, eſt jus ſeu poteſtas legitimà utendi tantùm re aliena, ſalvâ ejus ſubſtantiâ. Uſus facti eſt actualis uſus legitimus, vel etiam jus utendi re aliena, quæ ipſo uſu conſumatur, ſed revocabile ad nutum concedentis: tale eſt jus, quod habent Religioſi utendi veſtibus, ac alimentis, & cœteris rebus ſibi conceſſis.

Q. 2. *Ad quid tenetur Uſuarius?*

Reſp. Tenetur 1. rem, cujus habet uſum, integram diligenter conſervare proprietario, nam non habet jus eâ utendi, niſi ſalvâ ejus ſubſtantiâ. 2. Non ei licet percipere fructum diſtinctum ab ipſo uſu conceſſo; quia ſolus uſus ei conceditur; imò nec poteſt uſum ſibi conceſſum alteri donare, locare, vendere, quia non habet jus utendi niſi ad ſuum uſum.

Q. 3. *Quid eſt uſus fructus?*

Reſp. Eſt jus utendi, & fruendi re aliena, ſalvâ ejus ſubſtantiâ. L. 1. ff. *de Uſufr.* Unde eſt jus non ſolùm utendi re aliena, ſed etiam omnem ejus fructum percipiendi: porrò uſus eſt aſſumptio rei ad aliquid, ùt equi ad equi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN